



**Veritates Christianæ Qvæ Modvm Exhibent Benè Vivendi
Et Benè Moriendi**

Balde, Hendrik

Ipris, 1689

31. Cap. Quam periculosum sit vita suæ emendationem de die in diem
differre.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56447](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56447)

hactenus perfectam in vasta solitudine duxisses vitam, quamvis omnibus, quibus beati unquam claruere, præditus fore virtutibus; si mortifera macula vel unica in te resideat, eoque in statu è vita decedas, audire te oportebit cum virginibus fatuis, quibus nihil deerat nisi oleum, quo charitas designatur: *Nescio vos: clausa est janua.*

CAPVT XXXI.

Quam periculosum sit vita sua emendationem de die in diem differre.

Miserrimus es, quamdiu in statu peccati mortalis versaris, hostis es Dei, mancipium dæmonis; opera tua mortua sunt, & meritorum expertia, putridum resectum es membrum, bonorum operum, quæ in Ecclesia fiunt, destitutus es participatione; jure, quod habebas in cælum, orbatus, æterni incendij reus persistis.

Non tardes igitur converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.

Ad hæc duo S. Scripturæ verba *Subito,*

& *intempore vindictæ* animum diligenter
advertit.

Deus impios quosdam ita tractat, &
folet inimicum homo vindictæ appetenti
hic aliquas ultionis sumendæ occasione
subinde finit præterire; tempus & locus
non videntur illi adhuc satis opportuna
maturiore[m] expectat opportunitatem
majus hosti suo probrum, & dolorem
machinatur acerbior[em]; intereà cum ei
agit, ut cum sibi amicissimo: porro ubi
videt omnia ad vindictam rectè comp[ar]
rata; tum, cum nihil simile subit hosti
suspitari, sanguinariam exigit ultionem.

Ita cum quibusdam impijs agit Deus
è vestigio posset in illos animadvertere
quod interdum facit; sed culpam non
semper pœna mox subsequitur; multi elapsi
buntur dies, menses subinde, & anni
intereà temporis illos ut amicos habet
divitijs cumulat, ad dignitatum honorum
que fastigia extollit, prosperitate, com[od]
modis, delicijs finit circumfluere. Verum
Sapientiâ suâ infinitâ, quâ præcognovit
omnia, hoc etiam prævidit.

Ille homo nefarius post tam longum
temporis intervallum tali deget in loco
tali in domo, ibi tam vehementi impug
nabitur tentatione, ut consensum ei præ
præbiturus

præbiturus: tum verò illum nihil simile cogitantem repentinâ morte opprimam.

Hoc modo *Balthazar* scelerum suorum pœnas persolvit, tum, quando id minimè suspicabatur: nam cum splendidum celebraret convivium, ad quod omnes regni satrapæ erant invitati, ad potandum vinum, vasa sacra, quæ Pater ejus *Nabuchodonozor* templo Hierosolymitano extulerat (ô sacrilegium execrandum!) adhibere non exhorruit.

Arripuit occasionem Deus. Cum enim *Balthazar* delicijs jam totus esset immersus, & summâ elatus gloriâ, ecce manus umbra, tria hæc verba. *Mane, Tecel, Phares* parieti inscribentis, ei repentinè apparuit, quæ coràm universis regni satrapis incredibilem illi consternationem ruboremque incussit.

Neque hîc stetit divina Nemesis; sed ex sacrilego sanguine pœnas sumpsit, sceleratissimo Rege eâdem nocte miserandum in modum trucidato.

Hinc liquet, verum esse, quod passim dicitur. Qualis vita talis mors: Insanabile fit vulnus, cujus remedia in dies differuntur.

Perseverare in malo, diabolicum est, & digni sunt perire cum illo, qui similitudine

E 4

ejus

ejus manent in peccato ait. S. Bernardus (a)

Vbi itaque in peccatum prolapsus fueris, sine morâ resurge, teque Deo reconcilia, antequam ille manum suam eleuet adversum te. *Horrendum enim est incidere in manus Dei viventis.*

CAPVT XXXII.

De ijs, qui in tempus morbi emendationem vite differunt.

SI justus Dei furor de improvise te non opprimat, fatalis, qui te premet morbus, non multum subsidij tibi adferet, ut Deum animæ tuæ reddas propitium: si enim febris tibi non adimat intellectus usum, certè non parùm enervabit illius vires, tantamque illi offundet caliginem, ut de Deo tuisque peccatis attentè cogitandi tibi præreptura sit potestatem.

Æger quidam morti proximus, mortuus, ut varios eliceret virtutum actus, reposuit. *Non equidem possum: cerebrum mihi nimis infirmum est & debile, & nisi opportuno tempore id antè fecissem, jam de salutis mea esset conclamatum.*

P. Julius Recupitus, qui hanc historiam narra-

(a) *Serm. I. de adv.*